jest, gdi Czawss nass do wass s tim listem nassim prziiedzie, tedi bische sprawi na dlugo nye otkladali, niech bi ta rzecz prziiacielskim obicziaiem bela sprawiona, a tich lotrow, ktorzi to zloczinstwo poczyneli, ktokolwiek ss nich iest, niech bi bel znaidzion y do wass prziiwiedzion, zebi belo to z nich poddanim nassim zaplaczono, iako pobitich, tak tess y w niewolą pobranich, ktorzi ssie z niewoli okupowali y te wsitkie skodi, ktore ssie im stali na ten cass, y koni czokolwiek komu wzięto, roskazaliscie to wssitko w czalosci zebracz y zebrałssi to, temu Czawzowi nassemu w ręcze podacz, a on bi tess od wass to wziąwssi prziiiosl y poddanim nassim rozdal. A czy zloczinczi, ktorzi to poczynieli, będąłi z nich ktorzy s panow, abo z innich pospolitich ludzi, takowim ludziom abiscie nye przepuszczali y nye folgowali, wssitkie bische mocznie a okrutnie skaracz dali, abi tess y inssi ludzie to karanie wasse widzancz, tego ssie nye dopuszczali y nie ssmieli, zaden bi tess z nich nie ssmial prziiazni nassei wzwodzicz, zebi zadnei ssmialosci iuss od tich czassow takowej nie mieli. A ktorą bendą czy zloczinczi karani, niech bi tego ten to Czawss nass bel sswiadom y umial bi to prziiachawssi przed nami powiedziecz. A ty bissime sprawi bess omięskania sprawieli, y tego bische nye mislyli rzekancz, te rzeczi na stronie ssie stali, niech bendą tam sprawione. Jessli to bendziecie misslicz, y wi bi pruess zadnego czlowieka possliczcie, abi ten possel wass wiachawssi s Sandziakiem y Ssądzią nassim, tego ssie sprawnie y dostatecznie tei skodi wedlug listu nassego, niech bi temu Czawssowi beli podani, y nie mami wolei sswei inaczi miecz, abi ta sprawa bela odlozona na daliei, niechai bądźie to wsitko poddanim nasim nagrodzono. Jessli bische wolą mieli to wlecz na daliei y tim poddanim nassim tego nye oprawicz, tedi ssie to ukazuie naprzecziwko prziiazni nassei. Ja tess nadzieie maiącz w lascze Bozei, powinnowatem tego sstrzec, zebich za poddanimi nassimi zakonu nassego Bessarmanskiego sprawiedliwosci naprzecziw kazdemu dowodziel, bo to na nass pana ich przislusse, bo to iest powinnowatoscz nassa, poddanich nassich od krziwd bronicz :, o tim bische wiedzieli. Pissan ten listh po smierczy Machumetowej 952 miessiacza lutego w Constantinopolu.

## IX.

Sigismundus I Rex Poloniae Sigismundo II Regi Poloniae.

Serenissime Princeps... Venit nuntius Turcarum, qui per nos hodie est auditus; quas nobis literas attulit, earum sensum ignoramus, ca-remus enim interprete, pro quo misimus et celeriter eum ad nos venire iussimus: ubi traductae fuerint literae, eas cum Mte Vestra communicabimus. Interea vero, quae verbo dixit, paucis accipiat, in hanc enim sententiam locutus est: Caesarem suum nos pro amico habere, cum nos tamen hostilem nostrum erga homines illius animum declaraverimus, verbo amicitiam nos profiteri, re ipsa hostem esse, invasisse enim nostros in ditionem illius hostiliter, oppidum eius igne et ferro depopulatos esse et res et homines abegisse. Non esse, quod dicamus, nos nescisse, certum enim esse, quod nostri homines fecerint; esse nos potentes et persequi inimicitias et viribus nostris uti posse, ac reliqua etiam invadere; sed nisi sartiverimus iniurias et damna, Caesaris hominibus data, fore, ut experiamur, potentiorum esse Caesarem, qui sit iniurias istas vindicaturus: haec fere summa fuit eorum, quae dixit. Quae scire Mtem Vestram volumus, ut cum consiliariis Magni Ducatus ea communicet, rationem sartiendi damna inveniatur, ac modis omnibus una nobiscum provideat, ne quid Regnum nostrum et communes Provinciae detrimenti capiant, suamque de omnibus sententiam perscribat.

*Acta Tomiciana c. 158.*

## X.

Sigismundus I Rex Poloniae Consiliariis Regni Poloniae.

Cracoviae 15 aprilis 1546.

Magnifice... Res nova et insolita nobis Caesaris Turcarum literis et nuntio modo oblata est, ac literarum quidem eius exemplum mittere Sinceritati Tuae non potuimus, propterea, quod interpretem ad manus non habemus. Legatio sane dura et minarum plena fuit, cuius haec est summa: Caesarem nobis amicum esse, nos contra verbis tantum amicitiam, rebus hostilitatem ipsi ostendere; nostros homines e regno nostro in ditionem eius hostiliter invasisse, Oczakow oppidum exussisse, praedam abegisse: nisi cumulate satisfecerimus pro iis damnis, in nos ipsum vindicaturum esse. Et facile id quidem potest subordinatis et

summissis contra nos Valachis, Transalpinensibus atque Tartaris, praesertim, cum credibile sit, eum scire, quam imparati simus hoc tempore ad depellenda bella, et exolvere quidem damna, a dissolutis et licentiosis hominibus data, onerosum nobis et acerbum ac de turbatoribus illis poenas sumere perdifficile est. Purgationi autem nostrae non opinamur Caesarem locum daturum esse, quod excursionem illam, etiam si non a nostris hominibus facta fuisset, tamen e ditione nostra factam fuisse constat. Itaque, quid faciendum nobis, quidve responsi dandum esse censeat, Sinceritas Tua bene secum cogitet, ac diligenter nobis describat, pro officio suo et gratia nostra factura.

*Acta Tomiciana стор. 159.*

## XI.

Sigismundus I Rex Poloniae Castellano<sup>1)</sup> et Palatino Cracoviensi<sup>2)</sup>.  
Cracoviae 15 aprilis 1546.

Magnifice... Minime iucundus advenit nobis a Caesare Turcarum nuntius, atque item litterae, sed litteras qui interpretaret, nunc ad manus non habebamus; legationis vero haec summa fuit: Caesarem nobis amicum esse, nos contra verbis quidem amicitiam polliceri, re ipsa hostilitatem ipsi ostendere, nostros homines e regno nostro in ditionem eius hostiliter invassisse, oppidum exussisse, praedam abegisse: nisi cumulate exolverimus ea, quae repetuntur, Caesarem ipsum in nos nostraque vindicaturum. Est facile id quidem illi, hoc praesertim statu rerum nostrarum, si Tartaros modo et Valachos atque Transalpinenses in nos concitaret, satis abunde negotii nobis facesseret. Verbis illi vix satisfaciemus, nam, ut in potestate nostra non sunt perditii illi ac dissoluti homines, qui excursionem illam ad Oczakow facere, tamen, quod e regno nostro eam fecere, in nos ille culpam confert. Persolvere autem damna illa unde et qua, ratione debeamus, et inquietos illos turbatores pacis quomodo ulcisci possimus, non intelligimus. Quocirca hortamur et postulamus Sinceritatem tuam, ut statim post Conductum Paschae<sup>3)</sup> huc veniat, nobiscum pariter his et aliis quibusdam de rebus consilium initura; quod faciet pro gratia nostra et officio suo.

*Acta Tomiciana стор. 160.*

<sup>1)</sup> Ян Тарновский.

<sup>2)</sup> Петро Кміта.

<sup>3)</sup> дня 2 мая.

## XII.

Sigismundus I Rex Poloniae Solimano Imperatori Turcarum.

Serenissime... Et literas Mtis Vestrae accepimus, et nuntium audivimus, eadem prope, quae in litteris scripta erat, proferentem. Quoniam vero oppidum Oczakow, de quo inflammato et direpto Mtas Vestra nobiscum expostulat, longiore intervallo disiunctum est ab hac sede nostra Regia, hactenus nullum nuntio Mtis Vestrae certum responsum dare potuimus, sed investigari diligenter et modis omnibus explorari fecimus, per quem clade hac subditi vestrae Mtis sunt affecti; qua in re utimur etiam opera Ser. filii Nostri, qui in Magno Ducatu nostro Lituaniae summa et ipse diligentia in authores istius facinoris inquirat. Atque haec nobis fuit causa retinendi diutius nuntii Mtis vestrae, quod illi pro virili nostra in omnibus satisfieri cupimus praesente et inspectante eo, ut omnes intelligant, ea amicitia, quae cum Mte Vestra nobis intercedit, nihil esse nobis prius et antiquius. Dabimus itaque omnem operam, ut si qui ex nostris ea patrasse comperti fuerint, de quibus Mtis Vestrae subditi quaeruntur, ii debitas poenas non effugiant, atque ut omnia hominibus Mtis Vestrae sarciantur, si quae per nostros homines damna illis illata fuerint; si vero ab his commissum aliquid sit, qui nostrae iurisdictioni non subsunt, culpam eorum ad nos non pertinere, facile pro prudentia sua Mtas Vestra perspicit. Sed nos tamen faciemus omnia in hac causa, quae ad amicitiam cum Mte Vestra et bonam vicinitatem conservandam pertinebunt, neque aut inquiremus, aut ulciscemur segnius, si quid per nostros peccatum esse constiterit, quam si contra nos ipsos peccatum esset, quemadmodum re vera peccat contra nos, qui pacem et concordiam publicam, quantum in ipso est, rumpere conat. Hac itaque sola de causa retinuimus nuntium Mtis Vestrae, ut nostrae diligentiae et eorum, quae hic acta per nos essent, oculatus testis esse possit: quod Mti Vestrae literis hisce significandum esse duximus.

*Acta Tomiciana mop. 166.*

## XIII.

Sigismundus I Rex Poloniae Sigismundo II Regi Poloniae.

Qui autor sit cladis istius Oczakoviensis, nihil esse videmus istic a Mte Vestra cognitum, sed quantum ex iis, quae ad nos scripta mi-

sit Mtas Vestra, colligere licuit, istinc videtur esse profecta, non ex regno nostro. Quod si idem Mtas Vestra iudicaverit, vellemus, ut authorem cladis aliqua tamen poena afficeret, saltem, ut praefecturam sive capitaneatum ei adimeret, ex quo haec est clades illata Oczakoviensibus, qua tamen in re nihil praescriptum vestrae Mti voluimus; quae habita cum senatoribus Magni Ducatus nostri consultatione id statuet, quod esse e re intellexerit. Cuperemus id quoque per Mtem vestram provideri, ut quo autore damna isthaec Oczakoviensibus illata esse cognoverit, per eum refundatur nobis pecunia, quam nos pro alieno delicto soluturi sumus. Quae cum et ipsa pro damnis, per nonnullos illatis, satis fecisset, ii, qui damna dederant, quod erat per Mtem Vestram numeratum, id illi rependere coacti esse dicuntur.

*Acta Tomiciana cmop. 167.*

#### XIV.

Sigismundus I Rex Poloniae Sigismundo II Regi Poloniae.

Serenissime... Accepimus et literas Mtis Vestrae et acta causae Oczakoviensis. Caeterum quod et sperabamus et optabamus maxime, ut aut decerneretur aliquid in ea ipsa causa, aut saltem consilium nobis a Mte Vestra suppeditaretur, id factum non est; nihil enim aliud quam acta nobis misit Mtas Vestra, sententiam suam non perscripsit. Nos hic cum consiliariis nostris diligenter, quid faciendum nobis esset, deliberavimus, visum est tandem, ut nuntium hunc Turcarum Caesaris ne teneremus diutius, sed qui damna passi sunt, iis ea sarcienda curaremus: unde autem sartiretur, quandoquidem a Mte Vestra nulla est lata sententia, inveniri non potuit, nisi ex fisco nostro. Designavimus itaque Albertum Starzechowski Belzensem et Nicolaum Grabia Chelmensem Castellanos, qui in certum locum aliquem non procul a finibus proficiscantur atque ibi damna passis, non iuxta regestrum, quod nobis missum est a Caesare Turcarum, sed iuxta id, quod fuerit legitime probatum, satisfieri curent. Quae quidem res dura nobis est et permolesta, nos enis poenas damus eorum, quae ab aliis malefacta sunt; et iam semel atque iterum nobis id evenit, ac veremur, ne nostra haec satisfactio pro culpa aliena speciem aliquam tributii prae se ferat, neve id a nobis deinceps frequentius exigatur. Porro, ut aliquod gravius supplicium de quoppiam sumeretur, visum non est, ne paulatim assuesceret Turcarum Caesar non solum pecu-

niam, sed et sanguinem arbitrato suo subditorum nostrorum expetere, quemadmodum in Valachia facere dicitur. Non est illi nimis indulgendum, sed providendum potius, ut a nostris deinceps eadem ista ne designentur, quod in regno nos providere conabimur, idem fieri velimus a Mte Vestra in Magno Ducatu Lituaniae, unde direptio haec Oczakoviensis et inflammatio profluxisse videtur, quam quidem impunitam esse nollemus. Ac fortasse liceret nobis hic aliquid contra istos publicae pacis violatores decernere, sed quando ibi Mtas Vestra praesens adest cum summa potestate, illi potius committendum duximus, ut ipsa scelus hoc vindicet; ante omnia autem curet diligenter, ut quam nos pecuniam numerabimus, ea refundatur nobis per eos, qui autores cladis istius Oczakoviensis fuisse convicti fuerint, porro, si quid a Pretwicz peccatum est, impune non feret, cogetur et ipse nobis satisfacere. Visum erat etiam Consiliariis nostris, quandoquidem Caesar Turcarum semel atque iterum ad nos scripsit, se mirari, quod ipsius homines de nostrorum iniuriis quaerantur, nostrorum autem nemo quaestus sit adhuc, se aliqua a Turcis iniuria affectum esse, ut nos quoque nuntium nostrum mittamus, qui sarciri damna petat, quae nostri non minora passi sunt a Tartaris, quam a nostris Tartari, quod nos consilium amplecti cogitamus, sic enim futura est aliqua damnorum ultro citroque datorum compensatio. Eam autem rationem modis omnibus inire studeat Mtas Vestra, qua prohiberi nostri possint, ut ne simile deinceps facinus in se admittant. Nos enim, quae nobis cum Caesare Turcarum intercedunt foedera salva et inviolata pro eo, ut facere tenemur, conservare cupimus.

Quod vero limites attinet inter Regnum et Magnum Ducatum, iam designati sunt per nos praecursores ex Maiore Polonia. Mandavimus, ut Calendis Augusti in finibus Prussiae, qui vero ex Minore Polonia, ut in Parczow ad eundem diem iuxta Vestrae Mtis sententiam compareant; quae suis vicissim istic mandabit, quo et ipsi ad eundem diem iisdem in locis praesto adsint. Datum Cracoviae postridie festi Corporis Christi<sup>1)</sup> anno 1546.

*Acta Tomiciana смп. 168—9.*

## XV.

Sigismundus I Rex Poloniae Imperatori Turcarum.

Cracoviae 11 iulii 1546.

Serenissime... Veniens ad nos Mtis Vestrae amici nostri orator, literas nobis Mtis Vestrae reddidit, in quibus erat, Sendiacum Sili-

<sup>1)</sup> 26 червня.

striensem ac Cadeium Oczakoviensem Mti Vestrae significasse, quod homines nostri ex regno nostro Oppidum Oczakow invaserint, damna multa intulerint, ac quam plurimos in servitutem abduxerint, eamque rem Mti Vestrae molestam et gravem (ut par erat) accidisse, decet enim regem et principem non minus subditorum, quam suis commodis commoveri. Sed neque nos eam rem laeti audivimus, pro ea amicitia, quae nobis cum Mte Vestra intercedit, communem hunc casum nobis cum Mte Vestra esse existimamus. Et priusquam orator Mtis Vestrae ad nos venisset, iam de ea re literis nostris, quas celeri nuntio miseramus, Mti Vestrae significarem, ut intelligeret facinus hoc scelestorum ac perditorum hominum, quod contra nostram voluntatem, ignorantibus praefectis nostris finitimarum arcium perpetrarunt, nobis vehementer displicere. Qui quidem latrones neque ex regno nostro fuerunt, neque unquam certum et firmum domicilium in regno et dominiis nostris habuerunt, sed interdum in finitimis nostris oppidis comorabantur; quos si tantum facinus ausuros, atque damnum aliquod Mtis Vestrae subditis illaturos putassemus, nunquam illis locus in regno et dominiis nostris fuisset. Porro, cum de damnis istis subditorum Mtis Vestrae per nuntium et per litteras illius essemus admoniti, communicato consilio cum Serenissimo filio nostro, qui nunc in magno Ducatu Lituaniae cum imperio est, accersivimus utrorumque dominiorum nostrorum praefectos finitimarum arcium ab iisque diligenter quaesivimus, qui tam audacis facinoris autores fuerint. Neque eo contenti misimus, quam late patet Dominium nostrum, sub fines Moschoviae, certos homines, qui praedones istos inquirerent. Verum et ex praefectis finitimorum arcium nostrarum et ex iis, qui ad conqui-  
rendos latrones istos missi a nobis fuerunt, cognoscere aliud non potuimus, quam quod iam antea Mti Vestrae scripsimus, oppidum scilicet Oczakow a perditis illis latronibus<sup>1)</sup>, qui nunquam certo loco consistunt, sed per campos vagantur, direptum esse, eosque perpetrato facinore isto in dominiis nostris nusquam visos, nam nonnullos ex eis, dum de praeda inter se contendunt, occisos esse, reliquos poenas, quas commeruerant, metuentes, in Moschoviam profugerunt. Nos vero, cum non alia de causa Oratorem Mtis Vestrae tam diu retinuissemus, quam, ut eo praesente de latronibus istis, si qui forte adducerentur, pro meritis illorum supplicium sumeretur, atque ea exempla in eos ederentur, quae caeteros a tam audaci facinore in posterum

---

<sup>1)</sup> Той сам лист є в польськiм перекладі А. Т. стор. 179—181; там се місце звучить: ze ci ludzie, ktorzi w Oczakowie skodi pocynieli beli kozacy polni, a nie osiedli ludzie na iednem mieisczu.

deterrent, cum eius rei potestatem nobis non dari videremus, non putavimus, oratorem Mtis Vestrae esse diutius retinendum. Quam ob rem ita eum dimisimus, ut cum hominibus nostris, quos ad eam rem designaveramus, ad fines regni nostri proficisceretur atque ibi damna ista, de quibus nobis Mtas Vestra scripsit, cum Sandziaco et Cadeio aestimarent, nostri vero homines, ita, ut aestimata fuerint, subditis Mtis Vestrae resartirent. Etsi enim ii, qui ea damna subditis Mtis Vestrae dederunt, subditi nostri non fuerunt, neque earum rerum aliquid in dominia nostra importatum est, tamen, quod ex dominiis nostris ea damna intulerint, existimavimus, nos rem amicitia, quae nobis cum Mte Vestra intercedit, dignam facturos, si postulationis Mtis Vestrae rationem haberemus, atque ea damna, quae a latronibus istis subditi Mtis Vestrae pertulerunt, resartiri mandaremus, sperantes, Mtem quoque Vestram daturam operam, ut ea damna, quae nobis et subditis nostris in dominiis nostris a Turcis, Tartaris et aliis finitimis Mtis Vestrae subditis inferuntur, nobis subditisque nostris resartiantur. Quamquam enim ad nos Mtas Vestra scribat, nulla nobis subditisque nostris ex Mtis Vestrae ditione damna inferri, neque nos aliquando de eis quaeri, sunt tamen ea longe maiora, quam ea, quae interdum ex dominiis nostris subditis Mtis Vestrae fiunt; de quibus egimus cum Mtis Vestrae oratore atque exhibuimus illi ea, quae ex finibus regni scripta sunt, quam multa damna iam, cum ille ad nos venisset, illata a Tartaris sunt, et quam multi homines nostri in servitutem ab eis abducti sunt; verum decrevimus, nuntium nostrum ad Mtem Vestram mittere, qui de recentibus istis damnis et aliis veteribus quaeratur. Quamobrem perscribere ea nunc volumus, numerum tamen hominum, qui in servitutem abducti sunt, conscribi mandavimus atque his literis includi iussimus; a Mte autem Vestra postulamus, ut si prior iste Mtis Vestrae orator ad Illam redierit, quam noster pervenire poterit, homines nostros conqueri mandet, quo redire ad dominia nostra possint. Atque ita oratorem Mtis Vestrae dimisimus, sperantes hoc nostrum erga Mtem Vestram amicum studium gratum illi futurum, Mtemque Vestram per studium et benevolentiam, in rebus nostris nobis exhibituram; nos enim eam, quae nobis cum Mte Vestra intercedit, amicitiam, firmam retinere cupimus, quem felicem valere optamus.



## XVI.

Sigismundus I Rex Poloniae Sigismundo II Regi Poloniae.  
Cracoviae 12 augusti 1546.

Serenissime... Maluissimus quidem latum esse a Mte Vestra decretum in causa direptionis Oczakoviensis, magna cum molestia liberati essemus, sed quas adfert causas, quamobrem id ab illa factum non sit, eas esse iustas agnoscimus. Quamobrem, quod non sine ratione praetermissum est a Mte Vestra, id in bonam partem accipimus, quin et illud boni consulimus, quod suos ad comissarios nostros non miserit, eorum nomine, quae a Graeco mercatore accepta fuerunt, iam Caesaris Turcarum nuntio satisfieri curavimus, misimus enim ex fisco mille ducentos florenos, si minus illi deberi cognitum fuerit, in lucro numerabitur, nobis enim, quod residuum fuerit, restituetur; de profugis quod rem ex sententia nostra Mtas Vestra curaverit, agimus illi gratia.

Ad fines inspiciendos nos quoque nostros misimus, utinam omnis materia litum aliquando praecidatur. Subditis Palatini Vitebscensis dari salvum conductum iussimus, ac quod iuris erit, si quis ius sibi dici petierit, de eo statuemus. Quae Mtas Vestra respondit ad Valachi quaerimonias, plane nobis satisfaciunt, atque iis, quae scribit Mtas Vestra, fidem habemus indubitata. Allatum erat ad nos, quod ex hac vita Vaivoda excesserit, nondum tamen certi sumus, sunt enim, qui dicant, ex paralisi morbo laborare. Quare comissarios nostros in oppidum nostrum Camenecensem nihilominus proficisci iussimus, quibus Mtis Vestrae litteras descriptas mittemus.

*Acta Tomiciana cmop. 173—4.*

## XVII.

Sultan Soliman Caesar Turcarum Sigismundo I Regi Poloniae.

Roskazuiącemu Panu wielkiemu zakonu krzescianskiego prziazn naszą. Ku Wam iest przyjacielowi nassemu krolowi polskiemu Zigmuntowi pozdrowienie nasse. Oznaimuiemi y daiemi wam przyjacielowi nassemu przess ten nass listh znacz, tich czasow, ktorichescie poslanca swego poslali do nass y do nassei wyssockiei stolice z listem sswim o sprawie zamku naszego Oczakowskiego, wymawiając ssie przed nami w tim y oznaimuiąc nam iakoby czy liudzie, ktorzi przichodzieli

poth ten zamek nass, nye wassi beli, ani tego sswiadomi, iedno, zescie nam oznaimieli, iss ci liudzie beli z Litwi, a z Moskwei sswei ziemie przichodzieli, to zloczinstwo, ktore udzialane iesth od nich, nye wiemi, do ktorei stroni uciekli abo gdzie ssa, ani sswiadomizmi onich, o timescie nam oznaimieli, tess dla tich zloczincow, ktorzi to podzialali, chcąc ie ku rekom prziwiesz, poslalizmi sswoich liudzi, dowiadując sie y ssukając ich. A tak my, ktoregozmi possla czawsza naszego poslali z listi nassimi, niech bedzie wedlug tego pierwszego listu naszego ta rzecz sprawiona, bo iestem zawsse na jednim sslowie, tego odmienicz nye mogę, iedno ze potrzeba tego wedlug listu naszego y dla przyazni tey, którą mami miedzi ssobą, tich lotrow, ktorzi to udzialali, abi ssie iakimi kolwiek prziczinami ich k rękóm prziwiedli y tich poddanych nassych skodi, nakladi, wedlug rejestru tego na nich oprawieli, a oprawiwssi to na nich przeth tim czawzem nassym abiscie roskazali gardly ich skaracz, aby to widząc y slisząc takową wielką karnosc, tego ssie nye dopuscali dzialacz, niech bi wssitkim od tego nauka bela. Otim biscie wyedzieli. Pissano w miasteczku na imie Baba Eskizi.

*Acta Tomiciana c. 175.*

## XVIII.

Soltan Soliman Caesar Turcarum Sigismundo I Regi Poloniae.

Roskazującemu panu wylkiemu w zakonie krzescianskim przyjacielowi memu krolowi polskiemu y innych panstw zakonu krzescianskiego Zigmuntowi oznaimuiemi y daiemy wiedziecz przess ten nass list. Tich czassow do wissokiego a do szczesliwego panowania naszego przisslaliscie listh swoj, oznaimuiąc nam o thim, ktori list bel poslan przess czawsza naszego do wass w sprawie naszego zamku Oczakowskiego o ty zloczincze, wy przeciela nass z wielką pilnością roskazali ssukacz tich zlocincow, y skoroby beli czy zloczincze poimani, obiecuyecie ssię ty zloczincze przed tim czawszem nassim karacz wedle pissania naszego do wass, a to pobranie rzeczy od tich zlocincow poddanym nassim nagrodzicz y wroczicz, y naprzot obiecuiecie ssie nam bicz dobrim przeciela, zebi ona przyazn nassa nye miala zadni zmianę miecz miedzi nami, o timescie nam oznaimieli, y my s tego waszego pissania wssitkiemu dostatecznie wyrozumieli, y od wass wdziecznie przeimuiemi, a wssakoss ia y dopiero iestem na tim wedle naszego pierwszego pissania do wass, abi czy zloczinci tegoss czassu

beli nalyezieni y okrutną karnością beli skarani, a tim poddanim nassim za skodi ich zebi przess omięskania beli nagrodzeni, bo ta rzecz na przedluzeniu ku odkladaniu zadnego miejsca miecz nye moze, niech by ta rzecz miedzi nami przyjacielskim obiczaiem bela sprawiona; ieslibiscie tess chcieli tą rzecz na przedluzenie odkladiwacz, a tich zlocincow wedlug pissania naszego nye skaracz, a poddanym nassim za skodi ich nye nagrodzicz, tedi przeciwko priazni nassei belo bi to, którą mami miedzi ssobą, y przissla bi ta powinnoscz na nass Czessarza za skodi tich poddanych nassich sprawiedliwosci im dowodzicz. W timze liscie sswoim pissaliscie nyektore rzeczy okolo tich zlocinczow, a tak my nie chcemy zadnei rzeczy wiedzicz, iedno chcemy to miecz, aby tim poddanim nassim za skodi ich belo nagrodzono. O tim bisce wiedzieli. Pisan w Constantinopolu miesiaca lutego po smierci Machumetowej roku 952.

*Acta Tomiciana c. 176—7.*

### XIX.

Instructio a Sigismundo I Rege Poloniae commissariis data ad videnda damna in Oczakow per nostros subditos illata. Commissarii hi missi fuerunt: Albertus Starzechowski<sup>1)</sup> et Nicolaus Grabia<sup>2)</sup>.

Gdi prziiadą commissarze nassi do Baru, iesslis tam bądą ot Krola Imczy mlodssego ssina naszego z Litwi posslani commissarze, tedi sz nimi wespolek bendą okolo ssaczowania tich skod, ktore ssie w Oczakowie sstaly, s poslem Czessarza tureczkiego y Sandziakiem Silistriiskim a z Cadeiem Oczakowskim postępowacz. A to iessli comissarze Krola Imczy mlodego, abo Sandziak Silistriski y Cadei Oczakowskiej, abo ktori ss nich prziiedzie, gdzie by więcz ktori s tich abo wsitczy nye prziiachali ani prziiachacz mieli, tedi s tim, ktori prziiedzie, abo s samim posslem bądą namowy czinicz.

Naprzod bądą tego chciecz, abi ci, ktorich skodi ssą przess Czessarza tureczkiego w liscie omienione, skod swoich wedle prawa dowodzieli, a cegokolwiek dowiodą, a wssakoss nicz nadzwiss, iedno to co iest w liscie y registrze Czessarza Tureczkiego omieniono y opisano, ktore przepissi mi slemi, to im bendą wedle nauki, którą panu Belskiemu<sup>3)</sup> o sprawach skarbu naszego iest dana, opravowacz y placicz pienądzmi y timi rzeczami, ktore panu Belskiemu iuss ssą dane,

<sup>1)</sup> Каштелян белзьский.

<sup>2)</sup> Каштелян холмський.

<sup>3)</sup> Альберт (Войцех) Старжеховский.

staraiącz ssie o to pilnie, iakoby co z namnieissim kostem ta rzecz bela skonczona, co ich wierze, którą nam powinni, y baceniu przypuscamy.

Odprawiwssi sprawę tę tureczką o skodi Ocakowskie, tedi z commissarzmi Krola IMCzi młodego sina naszego wezmą przedssię skodi y krziwdi, ktore poddani krolowey Iey mczi malzonki nassei we wloski Barskiey i insich dzierzaw od xiądza Włodimirskiego czierpią, a otim uznawacz bęnda, strzegącz tego pilnie, abi ty skodi y krziwdi, ktore ssie od niego dzieią, nagrodzone poddanym Krolowey Iey Mczi bely.

Przitim tess uznawacz bęnda o zbieglich poddanych krolowei Iey Mczi, o ktorich ym urodzony Bernard Pretwicz Starosta Barski sprawę da, ktore xiądz starosta Włodimierski u ssiebie ma, a wrocicz ich nie chce, a gdi ssie tego dostatecznie dowiedzą, iss ie on przechowywal y iesce przechowywa, roskazą mu spolecnie, aby wssitkie wrocziel.

*Acta Tomiciana* c mop. 177—8.

## XX.

Damna Turcis resarcita per Regem. Literae testimoniales Commissariorum Polonicorum.

Bar 5 septembr. 1546.

Nos Albertus Starzechowski Castellanus Belzensis et Capitaneus Drohobicensis et Nicolaus Grabia Castellanus Chelmensis et Capitaneus Lubomliensis manifestum facimus quibus expedit universis: Quia dum ex mandato speciali sacrae Regiae Mtis Poloniae Domini nostri clementissimi missi huc ad Bar ex Aula Mtis suae fuissemus, cum nuntio Serenissimi et Potentissimi Caesaris Turcarum Mechmet Czaus dicto, ut cum Sandiaco Siliestriensi et Iudice Oczakowiensi ex parte ipsius Serenissimi Caesaris convenissemus atque in eo congressu nostro de damnis, in Oczakow per praedonem seu piratam Karp Moscum factis, constitueremus, in qua re dum ad illum Sandiacum Silistriensem Serenissimae Regiae Mtis Poloniae Domini nostri, praesente hic nuntio Serenissimi Caesaris Turcarum praefato Mechmet Czausz, misissemus, idem Sandiacus nihil nobis respondere voluit, atque ideo nos mandato Mtis Suae Regiae pro damnis ipsis Oczakowiensibus, ut dicitur factis, in manibus nuntii sui Machmet Czausz deposuimus et dedimus omnium primum in auro florenos ungaricales auri puri et iusti ponderis duo milia trecentos triginta tres, quemlibet florenum ungaricalem per sexaginta aspras computando.

Item duodecim stamina panni Lundensis ipsi Mechmet Czaus Nuntio tradidimus, quodlibet stamen panni pro viginti octo florenis Polonicalibus, florenum vero Polonicalem pro quadraginta quinque aspris computando, pro quibus staminibus panni venerunt in summa trecenti triginta sex floreni Polonicales, qui ad aspras reducti constituunt summam quindecim millium asprarum et centum viginti aspras; quae quidem summa tam in auro, quam in panno coniuncta reducta ad aspras facit summam asprarum centum quinquaginta quinque millia asprarum et centum aspras.

Item eidem nuntio dedimus mille et ducentos florenos polonicales moneta tamen lituanicali, qui dicebantur esse a mercatore Caesaris Turcarum videlicet ab Andrea Carcocandella Graeco ratione thelolonei exacti.

Item eidem Nuntio tradidimus pro Capici Bassa fratre Domini Rostembassae centum quinquaginta florenos Ungaricales in auro. In cuius rei fidem et testimonium praesentes litteras a nobis sigillatos ipsi Machmeto Czaus Nuntio tradidimus.

*Acta Tomiciana cmop. 187—8.*

## XXI.

Albertus Starzechowski Capitaneus Drohobicensis et Castellanus Belzensis et Nicolaus Grabia Castellanus Chelmensis Sigismundo I Regi Poloniae.

Bar. 6 septembris 1546.

Post subditae servitutis nostrae in clementiam Sacrae Mtis Vestrae humilem commendationem. Absolvimus tandem eum nuntium hominem malum Turcarum et felicitate Caesaris sui insolentem, quando Tartari ex Oczakow, qui damna passi in direptione oppidi illius dicebantur, non venerant, nec Sandziacus ille Silistriensis ad litteras Mtis Vestrae nobis responderat, dedimusque ipsi nuntio in primis in auro florenos ungaricales 2333, quos nullatenus recipere voluit, quam per sexaginta aspras cum evidenti damno Mtis Vestrae, nam ad valorem monetae Polonicae reductae 40 grossos faciunt.

Item dedimus duodecim stamina Lundensis per XXVIII florenos Polonicales, quae fecerunt summam 336 florenorum, reducti vero ad aspras constituunt summam asprarum 15.120 aspras, maiore enim pretio pannum huiusmodi a nobis recipere noluit, et nos maluimus eam iacturam panni sustinere, quam monetae aureae.

Sic igitur tota summa ea, tam in auro quam in panno ad numerum asprarum reducta, constituit summam 155.100 aspras, et in hoc

convenit cum registro damnorum, per Caesarem Turcarum Mti Vestrae misso, cuius exemplum nobis quoque Mtas Vestra dedit.

Deinde dedimus ipsi nuntio 1200 florenos Polonicales, moneta tamen Lituanicali, qui ratione theloni ab Andrea Graeco mercatore Caesaris dicuntur esse recepti; et tametsi habuimus a Mte Vestra in mandatis, illi nuntio numerare 1200 florenos Lituanales, tamen ille recepit 1200 polonicales; receperat siquidem quemlibet medientem Lituanicalem pro una aspra, seu duobus solidis, ut hic et in Moldavia communis valor eius monetae Lituanae habetur, sed postea coacti sumus illo murmurante illi reliquum supplere, quod summa huiusmodi 1200 florenos Polonicales constitueret ad illum valorem, ut in Lituania recipitur.

Postea dedimus illi 150 in auro florenos Ungaricales pro Capici Bassa, ut in literis specialibus a Mte Vestra perscriptum habuimus, ad quas quidem summas, a nobis Mtis Vestrae nomine illi datas, Mti Vestrae illius nuntii literas recognitionis seu quittanciae mittimus.

Existimamus tamen necessarium, ut is nuntius, quem Mtas Vestra ad Caesarem illum Turcarum mittet, cognitam habeat huiusmodi expeditionem damnorum, per nos ipsi Turco factam; nam ipse, ut est homo avarissimus, totum hoc aurum degluciet, Tartaros vero illos panno contentabit; cum quibus Tartaris ubi huc ad nos venisset, facilius composuissemus, quam cum ipso insolente Turco, qui, ut hic edocti sumus, Tartaros illos venire prohibuit non alia ratione, ut aurum huiusmodi ipse absorbeat, ut parva re Tartaros illos contentet et nos, sperantes illorum adventum, expeditionem eius nuntii in eam moram protraximus.

Caeterum instetit apud nos vi et importune idem nuntius Turcicus, ut illi equos apud Oczakow Tartaris acceptos Mti Vestrae missos simul et occisorum capita soluissemus, inquiring unum sine reliquo fieri non posse, etiam quod infectis rebus omnibus abire debeat ad Caesarem; cui dum respondimus nihil de equis illis et Tartaris occisis nobis esse commissum, quin immo retulimus eos equos inter alia damna in literis Caesaris praescripta inclusisse, interminatus est, quod hac ratione ista omnia apud Caesarem suum irrita et infecta esse debeant et pro non satisfactis reputari, quodque ea imperfecta refusio damnorum facesset negotium nuntio Mtis Vestrae, ad Caesarem venienti, et erit causa, quominus Mtas Sua apud Caesarem illum voto suo potiat. Proinde arbitramur necessarium esse, ut in ea re nuntius, qui a Mte Vestra mittetur, praemonitus fuerit, ut habito exemplo literarum Turcarum Caesaris sciret se regere, nam si quidem equorum numerus in literis Turcarum scriptus sit, tamen nullus illorum valor

additus est, quemadmodum aliorum damnorum nomenclatura scripta est in literis Caesaris. Addidit insuper idem Turcus, quod facile tandem Tartari illi valorem equorum suorum coram Cadeio facient, et iudex ille referet hoc ad Caesarem, cui dabitur fides, sicut in caeteris, et nos respondimus nec Tartaris nec Cadeio illorum credere velle, nec iudicio illius attinere. Bene et felicissime valeat Sacra Mtas Vestra.

*Acta Tomiciana cmop. 182—4.*

## XXII.

Albertus Starzechowski et Nicolau Grabia commissarii Sigismundo I Regi Poloniae.

Bar 7 septembris 1546.

Cum iam istae aliae litterae ad sacram Mtem Vestram a nobis conscriptae fuissent, allatae sunt nobis iterum aliae literae a Mte Vestra, quibus mandare nobis dignata est, ut ipsi nuntio Turcarum retulisset de damnis, quae nuper in Volinia a Tartaris facta sunt, et quod Christianos omnes, qui ei ab obsequiis fuerunt, ultra fines regni Poloniae proficisci cum illo non permetteremus.

De damnis illis, per Tartaros factis, iam siquidem illi non semel antea diximus, qua re pertesus erat plurimum, et ad eam relationem et monitionem nostram scripsit ad illos officiales in Bialogrod et Ocza-kow quod non solum ab huius modi incursionibus temperent, verum eos omnes captivos, quos ex Volinia in praedam abduxerint, venum-dare non praesumant; nihilominus rursus autem atque iterum dimit-tentes illum dicemus et nomina illorum Tartarorum, qui in ea excur-sione fuerant praecipui, in scriptis illi dabimus.

Cum autem idem Turcus cum litteris suis huiusmodi mitteret hominem suum, nos quoque alium hominem suum servitorem domini capitanei Barenensis adhibueramus, ea ratione, ut illic de rebus omnibus deque moliminibus hostium et si quae copiae hostium in eam partem Boristenis processerint, exploret; cum quibus una profectus erat servitor Polonus illius mercatoris Andreae Carco-candelaе Graeci, qui ipsum nuntium comitatur, adolescens satis discretus et nobis favens, cui dato munere et viatico dedimus negotium, ut de his omnibus rebus nos certiores faciat. Servitor ille domini capi-tanei Barenensis siquidem nondum abinde reversus est, nam iussu ipsius domini capitanei Barenensis in Bialogrod ulterius exploratum profectus est, tamen idem servitor Andreae Graeci cum homine Turci reversus est et retulit nobis, Tartaros illos ex litteris istius nuntii percultos

esse, et dum eiusmodi excursionibus cum illis Tartaris et praedis actis agerent, retulit, illos audivisse confiteri duntaxat de trecentis hominibus abactis, et quod in campis nulli hostes fuissent, quorum metueuda esset excursio, immo ad eas litteras nuntii Caesareolus, qui cum aliquot centum equitibus in eam partem Boristenis transierat, rursus ad illam partem profectus esse dicitur, et ait, nullos hostes prorsus in campis esse.

Cuius relatione nos perpensa volumus hoc Mti Vestrae scribere, quandoquidem suspicamur Mtem Vestram ad scripta nostra et rumorem eum, qui hic do hostibus illis increbuerat, misisse pecuniam, quibus mille equites hic scriberentur, ut, si ita Mti Vestrae visum fuerit, quod dominus Orlik, cui ea provincia a Mte Vestra data est, paulisper se ab erogandis pecuniis contineret, quoad aliquid certius de hostibus recantatum fuisset, vel in eum duntaxat eventum hic ducenti vel paulo magis equites scriberentur, reliquae vero pecuniae servarentur ad eam necessitatem, quae hic in foribus esse dicitur semper. Conveniret vero, ut aliquod centum equites conscriberentur, praecipue hi, qui hic continuo in finibus mereri absque stipendio videntur, quos hic magnificus dominus palatinus Belzensis non exiguo numero alere pane et sale videtur ad illumque unum, quoties hic ingruerit necessitas, omnes conveniunt et longis mensis (sic!) assident. Deinde non praetermitterentur et isti optimi viri, qui domino Pretwicz capitaneo Barensi serviunt, quod equidem citra omnem adulationem etiamque praeter scientiam scribimus, nam cernimus eos prae ceteris hic esse expeditiores, adversus omnem ingruentem necessitatem. In quem modum scripsimus hic ipsi domino Orlik, ut in ea re Mtis Vestrae sententiam et instructionem expectet, quam non dubitamus hoc modo daturam fuisse, ut si necessitas ingruerit, pecuniam in milites erogasset, sed rogamus, ne in ea re hic prodamur, nam eorum hominum magnam impraecationem non evaderemus.

Quantum vero ad hoc attinet, ut omnes Christianos ab ipso Turco nuntio amoveremus, in limitibus regni hoc faciemus, sicut mandatum a Mte vestra habemus, et illi ante egressum illius hoc denuntiabimus, verum vectores Christianos, qui illius et aliorum Turcorum eum comittantium res praetio conducti vehunt, non conveniet nobis ab illo amovere, eo quod vectores ipsi huiusmodi ductura assueti sunt et forte malmaticum rursus hic vehere sunt conducti. Dominus Deus tandem Sacram Mtem vestram Reipublicae nostrae diu servet incolumem et faustam.

*Acta Tomiciana моп. 185—7.*

